



Cvrsvs Philosophicvs

Arriaga, Rodrigo de

Antverpiæ, 1632

Dispytatio III. De Logica secundùm se, & in ordine ad suum obiectum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95614](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95614)

solum inadequate vt inclusum ab includente, & vt partem à toto, quæ est communissima sententia inter Doctores, quam defendunt Fonseca Tomo Metaphysicæ cap. 3. quæst. 3. sect. 3. Conimbrienses quæst. 4. Proemij art. 4. & recentiores multi secuti plures Antiquos, quos videre licet apud proxime relatos.

Aduerte tamen, quando dico *diuersas formalitates*, non intelligi à me diuersum aliquid ex parte obiecti, has enim formalitates obiectiuas in creatis reiciam infra. Vnde, si clariùs vis respondere, dic Logicam à Philosophiâ ex parte obiecti non distingui, sed ex modo quo illud explicat.

Quâ vero parte Logica agit de demonstratione vel de argumentatione, habet diuersum obiectum non solum ratione, sed etiam realiter ab obiecto librorum de Animâ, quia in his solum agitur de natura cuiuslibet actus seorsim; Logica verò agit etiam de coëxistentia quæ consistit in duratione

eorum actuum, ex quibus argumentatio constituitur: hæc autem coëxistentia distincta est realiter ab essentia cuiuslibet actus, imò & omnium, nam supra illos addit durationem realiter distinctam, iuxta probabiliorum opinionem. Nec ideo censeas nos docere contrarium eis quæ proximè diximus, dum negauimus rationem modi sciendi non esse quid accidentale, distinctum ab ipsis actibus: tunc enim loquebamur de illis etiam vt in coniunctis cum durationibus, à quibus vt sic non distinguitur ratio argumentationis, vt aduersarij volebant, contententes, esse quamdam formam realem artificialem illis superadditam; at verò in præsentia solum loquimur de illis secundum suam substantiam, & vt distinctis ab ipsis durationibus, secundum quam solam rationem considerantur ab Animastico, & distinguuntur ab obiecto Logicæ etiam considerantis eorum coëxistentiam in tempore, ratione cuius efficiunt argumentationem.

DISPUTATIO TERTIA.

De Logica secundum se, & in ordine ad suum obiectum.

SECTIO I.

De Logica docente & vrente.

CELERRI diuisione in *docentem* & *vrentem* Logicam partiuntur Dialectici. De hac egit D. Thomas 4. Metaphysicæ, lect. 4. Scotus quæst. 1. Prædicabilium, & moderni nonnulli nimium fuscè & inutiliter hac de re disputarunt, rem claram importantâ disquisitione obscurantes. Nos breuius ab hac difficultate expediemur. Pro quâ aduerte, nemini dubium esse, Logicam docere modum definiendi, diuidendi, &c. Deinde, certum esse, alias scientias, imò & ipsam Logicam, vt eâ doctrinâ, dum qualibet in propriâ materiâ definit, diuigit, &c. Hæc quæ de re disputari poterant, adeo sunt certa & per se manifesta, vt in controuersiam vocari nequaquam debeant: est tamen inter Doctores magna dissensio, cui sit applicandum nomen *Logica vrentis*, an solum ipsi Logicæ, an aliis etiam scientiis, dum iuxta regulas Logicæ definiunt, diuidunt. Rursus, an Logicæ præcisè quatenus agit de probabilibus, an etiam quatenus de omnibus aliis suis obiectis. Quæ dissensio est, vt pater, de solo nomine, ideoque parui momenti. Rem intellige, vocibus vtire vt libuerit, nec deficient patroni pro quocumque modo loquendi. Dicam tamen, quid in hoc puncto videatur probabilius, & consequentius ad ipsarum vocum significationem.

2. Ego in primis censeo, diuisionem hanc esse solius Logicæ, vnde solum appellarem *Logicam vrentem* ipsam Logicam, dum in actu exercito vtitur definitione, diuisione, &c. Quod enim aliqui docent, Logicam vrentem dici ceteras scientias, dum definiunt, diuidunt, &c. non placet; quia illæ non sunt Logicæ, sed vrentes Logicæ: quando autem totum aliquod potentiale diuiditur, semper partes diuidentes debent in recto

participare rationem diuisi. nec enim posset dici rectè, *animal aliud est rationale, aliud causa animalis, scilicet Deus*; ergo pari ratione non potest dici rectè, *Logica alia est docens, alia est ea quæ vritur Logicæ*, quia, quæ vritur Logicæ, verè non est Logica, sicut vtens ferrâ, verè non est ferra. Quod si, hoc non obstante, volueris alias scientias posse etiam dici Logicam, quia, licet non cognoscant modum sciendi, ipsum tamen efficiunt; non tecum contendam, habes quem imiteris P. Valquez 1. parte, Disputat. 8. num. 19. & Hurtadum Disputat. 2. Logicæ, §. 4. qui refert Augustinum, vocantem Paulum & alios Theologos Dialecticos, non quia traderent modum sciendi, sed quia eo in suis materiis vterentur. Sed Hurtadus non bene id explicat: ibi enim; Logicam vrentem vsurpat pro eodem quod *vrentes Logicæ*. Incurrit autem obiectionem à nobis factam; non enim bene diuiditur ferra, alia est quæ ferrat, & alia quæ vritur ipsâ ferrâ. Debent ergo, vt ea diuisio possit sustineri, etiam alia scientiæ vocari in nominatiuo Logica, siue id sit per figuram, siue alio modo, vt rectè possint esse membrum diuisionis Logicæ: sed quæstio est de nomine, & parui momenti.

Obiicies contra nostram doctrinam. Idem actus nequit esse vtens & docens, quia non potest esse obiectum sui ipsius; sed omnes actus Logicæ sunt docentes, ergo nequeunt esse Logica vtens, ergo soli actus aliarum scientiarum erunt Logica vtens. Respondetur communiter, eundem actum posse esse docentem respectu aliquorum, & vrentem respectu alterius reflexi supra ipsum cuius regulis conformetur: neque enim implicat, vnum actum esse cognitionem obiecti, & simul esse obiectum actus reflexi. Hæc solutio non respondet omnino difficultati: quia, licet id verum sit in pluribus actibus, v. g. quando demonstro essentiam definitionis (nam ille actus est docens respectu definitionis, & vtens respectu doctrinæ de demonstratione:) at verò in pri-

mā definitione, quā ipsam definitionem explico, 4
v. g. *definitio est oratio explicans naturam rei per genus & differentiam*, cum non præcellerit alter actus docens essentiam definitionis cui hic conformetur, non poterit esse vtens, nisi respectu doctrinæ à se traditæ; ergo iam erit obiectum sui ipsius, quod videtur repugnare. Respondeo ergo, illum actum esse vtentem Logicā non ex doctrinā, vel ex reflexā cognitione definitionis, sed quia ipse intellectus habet vim naturalem ad efficiendas definitiones, & diuisiones, etiam si non præcellerit directio, quā de illis faciendis edoceatur. Nam (vt dicam Sectione 4.) Logica artificialis non est simpliciter necessaria ad definiendum, diuidendum, & argumentandum. Vnde nego, illum actum primum esse obiectum sui ipsius: quia licet vtatur Logicā, non tamen habet id ex directione alicuius actus, à quo cognitus sit, neque ex directione à se ipso, vt iam dixi. Sed replicabis fortē, ergo ille actus non est Logica artificialis vtens, sed naturalis: hic autem definimus solam Logicam artificialem. Respondeo, concedendo, illum actum non vtī præceptis Logicæ, sed naturæ vi fieri: addo tamen, in reseruare eadem præcepta, quæ per alios actus Logica artificialis tradit, ideoque posse dici in actu exercito vtentem præceptis Logicæ artificialis, nec aliud iam hic contendimus.

De Logicā docente nulla est difficultas: nam alia scientia non possunt dici Logica docens, cum illa nullo modo tradant regulas faciendi definitionem, diuisionem, &c. in quo consistit munus Logicæ docentis.

Logica habitualis docens, & habitualis vtens (idem est de actualibus) distinguuntur inadæquate, vt includens ab inclusō, casu quo alia scientia dicantur Logica vtens: quia Logica docens iuxta eum modum dicendi, includit solum ipsam Logicam; at verō Logica vtens includit & ipsam Logicam, & reliquas scientias vtentes præceptis Logicæ. Logica autem sola à se ipsā simul cum aliis scientiis distinguitur inadæquate, vt pars à toto, & inclusum ab includente. Verum in meā sententiā, asserente Logicam vtentem solum dici ipsam Logicam, dicendum est; nullo modo distingui realiter docentem ab vtente.

Nonnulli recentiores dixerē, nullam dari Logicam habitualement vtentem, quia Logica habitualis vtens debet inclinare ad vsum Logicæ; sed nullus habitus potest inclinare ad vsum formaliter, ergo nulla potest esse Logica habitualis vtens. Probant Minorem: quia vsum vt vsum debet regulari per doctrinam respectu cuius est vsum; sed habitus non potest inclinare ad actus regulatos vt regulatos formaliter, quia ad hoc ipse habitus deberet cognoscere regulas, quod repugnat habitui; ergo nullus habitus potest inclinare ad vsum formaliter, vt tale. Hæc difficultas etiam est de nomine: omnino tamen displicet modus loquendi horum Auctorum, quia sicut vsum dicit conformitatem cum regulā Logicæ, ita actus virtutis dicit cōformitatem cum regulis rationis; ergo sicut dicitur virtus habitualis habitus inclinans ad actus virtuosos, etiam si ipse habitus virtutis non cognoscat regulas rationis, ita similiter poterit Logica habitualis dici vtens habitus inclinans ad actus, qui sint vsum Logicæ, etiam si ipsi habitus non cognoscant doctrinam Logicæ,

quā vtuntur actus ab ipsis eliciti. Ratio est, quia sufficit, si inclinet ad vsum, vt habitus ille inde accipiat denominationem, sicut habitus vitiosus denominatur à vitio, & de virtuoso iam dixi, nec requiritur vt habitus reflexē ad omnes rationes, quæ in vsum sunt, inclinet, vt ostensum est. Sed res est parui momenti, & de solo nomine, vt dixi.

SECTIO II.

An Logica absolute sit scientia, tam vt docens quā vt vtens.

SUPPONO PRIMÒ, scientiam in presenti accipi 7
pro significatione strictā, quā eam accepit Aristoteles 1. Posteriorum cap. 2. & cum eo Philosophi communiter, pro cognitione euidenti alicuius rei, deductā ex principiis euidētibus per consequentiam euidētem: in quo sensu quærimus, vtrum Logica sit scientia.

Suppono secundò, vt aliqua scientia absolute talis dicatur, non requiri, omnes eius conclusiones esse euidētes, quia nulla est ex iis quæ dicuntur scientiæ, vt Metaphysica, Philosophia, &c. quæ non habeat multas cognitiones probabiles; sufficit ergo ad rationem scientiæ, vt saltem ex modo procedendi, & quantum est ex se, conetur demonstrare, & quoad multas partes de facto scientificē procedat.

Suppono tertio, multò minùs requiri ad scientiam, vt obiectum ipsius sit scientia; nam de plantis, de homine, de animali, & de errore potest scientia haberi. Quod icedò notauī, quia nonnulli hæc duo confundunt, & dixerē, Logicam, dum agit de opinione & de syllogismo fallaci, non esse scientiam, quia opinio & syllogismus fallax scientia non est: quæ ratio falsissima est, & æquiuocatione laborat; confundit enim obiectum scientiæ cum scientiā ipsā, quod longè aliud est. His positis,

PRIMA CONCLUSIO. Logica absolute est scientia. 8
Hæc est contra nonnullos Philosophos antiquos apud Conimbricenses quæst. 4. Proæmij, art. 3. quos sequitur Pereira lib. 1. Philosophiæ, cap. 2. A nobis tamen stat Aristoteles 1. Priorum cap. 1. D. Thomas 4. Metaphysicæ, cap. 4. sect. 4. Scotus quæst. 1. prædicabilium, & alij, quos referunt & sequuntur Toletus quæst. 2. Proæmij, Conimbricenses suprà, & Hurtadus Disputat. 2. §. 5. estque communissima inter recentiores: quam probō hac efficaci ratione. Logica demonstrat ex principiis euidētibus per euidētem consequentiam, proprietates & essentiam suorum obiectorum, ergo est scientia. Antecedens Probo: Logica probat, definitionem debere esse clariorem definito, quia definitio est manifestatio definiti; omnis autem manifestatio debet esse clarior re manifestatā. qui discursus euidens est, & constans præmissis euidētibus. Eodem modo de demonstratione euidētem ostendit, debere constare principiis certis & euidētibus, rectaque illatione. Item de eadem ostendit, generare scientiam; de syllogismo probabili, generare opinionem; de fallaci, errorem; & alias plures veritates ostendit Logica de terminis, de propositione, &c. ergo absolute & simpliciter est scientia.

Communi-

9 Communis obiectio contra dicta desumitur ex Aristotele 2. Metaphysicæ, cap. 3. asserente, absurdum esse, quærere simul scientiam, & modum sciendi. Quod hac ratione potest affirmari. Nam scientia acquiritur sine aliquo modo sciendi: vel ergo hic modus est scientia, vel non. Si non est scientia, habemus intentum: si verò est, ergo debet acquiri per alium modum à se distinctum. sicque procedemus in infinitum, quod absurdum est. Respondeo, Aristotelem solum docuisse, absurdum esse quærere simul scientiam & modum sciendi pro eà ipsa scientiâ. Vnde absurdum est, quærere simul Logicam, & alias scientias ad quas Logica est modus sciendi: non verò docuisse, absurdum esse simul quærere modum sciendi, & scientiam quæ in ipso modo sciendi imbitur. Logica autem, est sit modus sciendi ad alias scientias, non tamen est modus sciendi ad se ipsam. Ad confirmationem è ratione dico, non esse necellum, & ante ipsam scientiam præmittatur modus sciendi: potest enim intellectus vi naturæ acquirere scientias, ita vt ad eas non adiuvetur modo alio sciendi præiio. Fa-teor tamen, tunc difficilius scientiam acquiri, quam si præcessisset modus sciendi. Vnde Logica difficilior est cognitu, quam alie scientie, quia ad ipsam nulla alia, ipsa verò ad reliquas alias eis faciem præbens præsupponitur.

10 Obicitur secundo, idem Aristoteles, qui ibidem diuidit scientias in Metaphysicam & Physicam, nullâ factâ mentione Logicæ, ergo eam excludit à numero scientiarum. Respondeo, hoc argumentum esse ab auctoritate negatiuâ, quod nihil probat, præsertim cum constet iam de mente Aristotelis. Quod si alicubi oppositum obscure tamen videatur docere, intelligendus est ex his, quæ clariùs alibi dixit.

Ternò obicitur, Logica est practica, ergo non est scientia; quia practicum vt practicum respicit dirigibile vt dirigibile, non verò vt scibile: ob quam rationem ars vt ars non est scientia, quia respicit operabile vt operabile. Respondeo, operabile vt operabile posse cognosci scientificè, ita vt ipsa cognitio deferuiat ad opus (de quo diximus Disputat. 1. Sect. 4) & idèò communiter scientie diuiduntur in practicas & speculatiuas, quæ diuisio proculdubio esset pessima, si nulla esset scientia, quæ practica esset. Ad exemplum de artibus respondeo, non idèò eas deficere à ratione scientiæ, quia rem operabilem respiciant, sed quia circa illam non procedunt demonstratiuè & scientificè, sed solum quasi in fide parentum, & ex doctrinâ receptâ à Magistris: quæ licet euidentis sit, non tamen ostenditur euidenter ex principis euidentibus ab ipsâ arte.

11 Virgent tamen aliqui, quia etiam ars futoria, v. g. dicit in calceis pro soleis debere poni cotinum solidius & fortius, eò quod eis innitatur pes: pro superiore verò parte delicatius sufficere: item inferiorem partem non ita pulchrè elaborandam, quia & non apparet, & statim defædatur, &c. Et idem in omnibus aliis artibus potest ostendi: & propter hanc rationem putant, in rigore Aristotelico Logicam non esse scientiam. Sed hi debuissent, quandoquidem ita Aristoteli voluit adherere, aduertisse, eum eo loco citato supra expresse docere, Logicam esse scientiam, insuper eum propriè agnoscere scientias aliquas

practicas; alias (vt dixi) ineptè scientia diuideretur in practicam & speculatiuam. Argumentum autem horum recentiorum aequè est contra omnes alias scientias practicas, ac contra Logicam. Ei ergo respondeo primò, artem vt artem solum curare modum, quo debeat arte factum fieri (vt antè insinuauerà) rationem autem huius per se non curare: quo differt ars à scientiâ practicâ, idèò docetur quidem forma calceorum & figura, &c. Quare autem hoc vel illo modo, non curatur multum ab opificibus communiter loquendo. Nec pueris, dum discunt, dicitur idèò hoc corio vtaris pro soleâ, quia fortius, solidius, &c. Sed præcisè ostensio corio dicitur, hoc vtaris pro soleis, & hoc pro superiori parte, &c. Quod si aliquando etiam reddatur ratio manifesta operis, vel hoc est per accidens, vel certè dicendum, artem omnem in re esse scientiam, nomen tamen hoc scientia non applicari cognitionibus, quæ ad externa præsertim mechanica descendunt, sed eis, quæ circa nobilissimum obiectum versantur. Logica autem, cum agat scientificè, & deinde de nobilissimo obiecto, id est actibus intellectus, absolute & est & vocari debet scientia, quidquid sit de aliis artibus.

Obicitur tandem vltimò, Logica est instrumentum ad alias scientias, sed instrumentum non est eiusdem rationis cum re, ad quam est instrumentum, ergo non est scientia. Falsum antecedens, quia Logica non est instrumentum, sed cognoscens & tradens instrumenta. Mala etiam consequentia, quia ex antecedenti solum inferitur, Logicam non esse scientiam eiusdem speciei cum aliis, non verò absolute non esse scientiam.

SECUNDA CONCLUSIO. Logica vt docens est scientia. Hac est certissima, inferiturque ex præcedenti Conclusionem: quia si Logica absolute est scientia, cum eius præcipua pars sit docens, inde inferitur, Logicam docentem futuram scientiam. Probo autem id à priori: Logica docens vt docens contemplatur naturam & odi sciendi, eum cognoscendo formaliter, & demonstrando; ergo est scientia. Consequentia est euidentis. Antecedens probatur: quia omnes Doctores Logicæ docentis nomine significant eam partem Logicæ, quæ contemplatur scientificè suum obiectum.

Quod autem nonnulli voluerunt, idèò Logicam docentem non esse scientiam, quia per Logicam docentem formaliter intelligunt ipsam Logicam vt tradentem externis vocibus præcepta, quasi Logica docens diceretur solus professor Logicæ; hoc, inquam, falsum est, quia Logica per se non est ad alios, sed ad illum cui inest. Vnde Logica non aliâ ratione docere dicitur, nisi cognoscendo scientificè, in quo consistat formaliter essentia modi sciendi, & quæ sint eius partes: ex hac cognitione manet intellectus ipse doctus ad efficiendum modum sciendi: ergo Logica formaliter vt docens, est scientia. Et hæc est communis omnium sententia, significantium, vt dixi, nomine Logicæ docentis eam partem Logicæ, quæ scientificè attingit suum obiectum. Hanc Conclusionem intellige in eis actibus, quibus Logica docens certè & infallibiliter procedit: nam quando probabiliter docet, tunc non est scientia, ad modum quo in tertiâ Conclusionem de vtente iam dico.

TERTIA CONCLUSIO. Logica vtens materialiter accepta, aliquando est scientia, aliquando vero non. Hæc probatur ex dictis supra: quia Logica vtens, vel sunt omnes actus aliarum scientiarum, & simul ipsius Logica; & hi non omnes sunt scientia, quia, vt dixi, multi actus sunt in qualibet scientia, qui sunt tantum cognitiones probabiles: vel sunt soli actus Logica, & hi etiam partim sunt scientia, partim vero non; ergo Logica vtens aliquando est scientia, aliquando vero non.

QUARTA CONCLUSIO. Logica vtens vt vtens formaliter non est scientia. Hæc est communissima inter Doctores. Eam probat quidam, quia vtens vt vtens habet rationem obiecti: sed obiectum vt obiectum non est scientia, neque opinio; ergo. Hæc ratio nihil probat: Maior enim falsa est, quia vtens vt vtens non dicit rationem obiecti, sed rationem exercentis, seu efficientis id quod doctum est, vt ex significatione vocis 14. *vtens* euidenter constat. Sed hinc ego Conclusionem probo efficaciter, quia vtens vt vtens formaliter non est cognoscens, sed efficiens, seu produciens; ergo vtens vt vtens non est formaliter scientia. Consequentia est euidentis. Antecedens vero probatur: nam quando aliquis Philosophus v.g. efficit definitionem hominis, non vtiur ipso homine cognito, sed definitione qua illum cognoscit; tunc autem non cognoscit reflexe ipsam definitionem, sed tantum illam efficit; ergo vt formaliter aliqua re, non est cognoscere, sed eam efficere iuxta regulas præcognitas. Hoc autem quod de aliis scientiis diximus, dictum etiam puta in ipsa Logica vtente; quia dum iuxta regulas definitionis definit argumentationem, tunc non vtiur argumentatione quam cognoscit, quia non reflectitur supra illam; ergo vt vt vt formaliter, non est cognoscere, sed efficere cognitionem, etiam intra ipsam Logicam, ergo vtens vt vtens formaliter, in quacumque materia sit, non est scientia. Dixi semper *vt vtens formaliter*; quia vt ex Conclusionem præcedenti constat, vtrique potest coincidere in vnum: nec repugnat, vt qui efficit aliquam rem, simul per eam cognoscat aliud obiectum, imò semper cognoscimus per actus à nobis productos; ergo non repugnat coincidere vsum, seu effectiorem alicuius rei cum cognitione alterius; ergo vtens & scientia etsi formaliter non sunt idem, possunt tamen simul in vno actu reperiri.

SECTIO III.

An Logica sit practica an speculatiua.

15 **REVOCA**nda breuissimè sunt in memoriam quæ de scientia practica & speculatiua in communi diximus Disputat. I. Sect. 4. vbi ostendimus contra Scotum, actus intellectus esse posse praxim, ex quo capite in primis non deficit Logica à ratione practica. Ostendi præterea, eam cognitionem esse practica, quæ considerat obiectum à se operabile, præscindendo ab eius existentia, & concurrente ad effectiorem sui obiecti, siue sit opus liberum, siue necessarium.

Iam verò suppono, nomine *scientia* merè *practica* à me intelligi eam scientiam, quæ nullam habet cognitionem speculatiuam; & nomine me-

rè speculatiuæ, quæ nullam habet practica. Vnde in præfati non inquiri, vtrum Logica absolute dicenda sit solum practica, etsi habeat aliquas cognitiones speculatiuas (ea enim est quaestio de vocibus); sed inquiri de re, an omnes cognitiones Logicae sint practicae, an omnes speculatiuæ, vel an aliqua practica & aliqua speculatiua. Quod notanter aduertit, propter nonnullos qui defaigantur, vt ostendant, nullam scientiam posse dici simul practica & speculatiua, etiam si constet cognitionibus partim practicis, & partim speculatiuis; sed vel solum dicendam practica, vel solum speculatiua, prout fuerint præcipue eius cognitiones; quæ disputatio inutilis est, quia de solo nomine.

Suppono deinde, etiam si, vt dixi Disputat. I. Sect. 4. quaestio de scientia practica & speculatiua in communi sit quaestio de nomine, quia solum est de significatione huius vocis *practica*; difficultatem tamen, de qua in hac Sectione, non esse de nomine solo, sed de re: quia semel intellecta significatione illius vocis, inquirere, vtrum significatum per illam vocem sit nec ne in Logica, iam est quaestio omnino de re. sicut, licet esset quaestio de nomine, vtrum vox *animal* significet principium sentiendi, an verò principium illuminandi v.g. tamen semel statuta eius significatione, inquirere, vtrum in Petro reperiatur an non, iam non est quaestio de nomine, sed de significato per nomen, siue de re.

SUBSECTIO PRIMA.

Due sententia reiectæ.

PRIMA docet, Logicam omnino esse speculatiua. Ab ea stant Scotus quaest. 4. Proleg. Duran. quaest. 6. lauellus 6. Metaphysica quaest. 7. Socin. quaest. 6. Ant. Andre. quaest. 4. Proæmij, Niphus 1. Metaphysica quaest. 2. & Canariensis parte 1. quaest. 1. art. 4. & alij. Hæc sententia posset probari, ex eo quod actus intellectus non sint praxis; sed hoc argumentum refutauimus supra. Ideo secundo potest pro ea argui ex Augustino lib. 8. de Civitate Dei, c. 4. docente, Logicam esse contemplatricem, & partem Philosophiæ. Sed responderetur, Augustinum nomine scientia contemplatricis solum eam intelligere, quæ demonstratiue & scientificè versatur circa suum obiectum; quod non repugnat scientia practica. Tertiò potest probari: quia Logica versatur circa suum obiectum modo speculabili, id est, definiendo, diuidendo, &c. sed etiam ostendi supra, modum speculatiuum non consistere in definitione & diuisione vtriusque; sed vterius requiri, obiectum illius non esse factibile ab operante, aliàs nulla esset scientia practica; quia eo ipso quod sit scientia, debet versari circa suum obiectum per definitionem, diuisionem, &c. Logica ergo, etsi cognoscat definiendo, vterius tamen procedit ad effectiorem rei cognitæ, ac proinde ex hac parte poterit esse practica.

Secunda sententia docet, Logicam partim esse practica, & partim speculatiua. Ita P. Suarez 2. Metaphysica Disput. 44. Sect. 13. num. 54. Valquez 1. parte, Disputat. 9. num. 2. Rubius quaest. 5. Proæmij, num. 14. quos sequuntur alij recentiores è nostra Societate. Hæc sententia duas

duas habet partes. Prima est, in Logica esse aliquas cognitiones practicas. de hac fusiùs in tertia sententiâ. Secunda, habere etiam aliquas cognitiones speculatiuas. Hanc probant Primò, quia Logica agit de principiis *dicti de omni*, & *dicti de nullo*; quia in illis fundatur omnis vis syllogistica, sed illa principia non sunt praxis, ergo nec Logica, dum de illis agit, erit practica. Probant Minorem, quia licet intellectus possit dirigi ad efficiendam propositionem vniuersalem; tamen ut id quod in eâ affirmatur vel negatur de omnibus, affirmetur vel negetur de particularibus contentis in illâ, non pendet ex directione Logicæ, est enim passio, seu proprietas naturaliter conclusa propositionem vniuersalem.

19 Confirmant argumentum exemplo cognitionis de vitalitate & spiritualitate actuum, quæ cognitiones non sunt practice, quia non deseruiunt illo modo neque iuuant potentiam ad producendos actus vitales & spirituales. Hi Auctores videntur sibi in hoc argumento aduersari: ex vna enim parte docent, totam vim syllogisticam pendere ex illis principiis; ex quo videtur inferri, eorum cognitionem deseruire maximè ad efficiendam argumentationem, & consequenter eorum cognitionem ordinari ad opus, & esse practicam: ex alia verò parte docent, intellectum sistere omnino in contemplatione illorum principiorum; ex quo volunt inferre, ea principia non ordinari ad efficiendos syllogismos, quod aduersatur primæ parti. Exemplum autem de vitalitate actuum non est ad rem, quia sine cognitione illius aequè benè & facillè produceretur vitalitas actuum, ac si fuisset perfectissimè cognita: unde non mirum, si ea cognitio sit speculatiua. At verò sine cognitione illorum principiorum nec rectè nec facillè fient syllogismi. Quod si dicas, etiam sine illâ cognitione principiorum aequè facillè & rectè fieri posse syllogismos; ac cum illâ; ego dicam tunc, eam cognitionem non esse Logicam: quia Logica solum agit de his quæ deseruiunt ad simpliciter, vel meliùs efficiendum modum sciendi.

20 Dices pro his Auctoribus, posse aliquam cognitionem deseruire ad opus, etsi non sit practica, quando opus, effectum ex illâ, non est eius obiectum, ut de cognitione Dei diximus Disputat. I. Sect. 4. esse speculatiuam, etiamsi ex illâ sequatur amor Dei; quia non sequitur effectio ipsius Dei, qui est eius obiectum: ergo non quia cognitio illorum principiorum deseruiat ad demonstrationem, debet esse practica, cum non deseruiat ad efficienda ipsa principia cognita. Fateor, cognitionem practica requirere, ut eius obiectum sit factibile ex vi illius, ut ostenditur in replicâ. at nego, cognitionem illorum principiorum non deseruire ad demonstrationem, ut simul etiam deseruiat ad efficienda ipsa principia, scilicet propositiones vniuersales, tam affirmatiuas quam negatiuas, & inde inferendum particulares tam affirmatiuas quam negatiuas. Ex quo patet, *dicti de omni*, & *dicti de nullo*, esse factibile à Logica, quia sunt factibiles propositiones quibus dicitur *de omni* & *de nullo*, non ergo ex hoc capite deficit Logica à ratione scientiæ practicæ.

21 Secundo arguunt iidem, quia hæ cognitiones, ex præmissis euidentibus dispositis in modo perfectò euidenter inferunt conclusio, & ex probabilibus in

quocumque modo dispositis solum probabilis sequitur conclusio; hæ inquam cognitiones sunt speculatiuæ: quia licet necessaria sit directio ad disponendas præmissas, eis tamen dispositis independenter à quacumque cognitione reflexâ sequitur conclusio, ad quam maneo determinatus ex præmissis; ergo illæ cognitiones sunt speculatiuæ.

Nonnulli ex his, qui propter hoc argumentum stant ab hac secundâ sententiâ, dicunt adhuc, ad eliciendam conclusionem dari habitum facilitantem; quia cum potentia sit saltem quoad exercitium libera ad eliciendam vel non eliciendam conclusionem, dari potest habitus eam iuuans ad eliciendam faciliùs conclusionem: negant tamen, cognitionem reflexam de illatione conclusionis deseruire ad eam inferendam; quia si deseruiret, maximè ut inferret meliùs & sine errandi periculo. at hoc periculum non est in eo casu, ergo, &c. Non video quâ consequentiâ hæc duo dicta fuerint: quia si habitus deseruit ad eliciendam faciliùs conclusionem, quin deseruiat ad eam eliciendam sine periculo erroris, cur non idem dici potest de cognitione reflexâ illationis, deseruire scilicet ad inferendam conclusionem cum maiori facilitate, eò quod, qui etiam in actu signato cognoscit bonitatem conclusionis, faciliùs illi assentitur, quàm qui eam cognoscit solum in actu exercitio, quæ maior facilitas consistet in maiori propositione obiecti ad conclusionem eliciendam? Respondeo ergo, eas cognitiones & similes, virtualiter & æquiualeuter practicas, quia illa, ex præmissis euidentibus sequitur euidenter conclusio, æquiualeat huic, ut euidenter inferatur conclusio, debent assumi propositiones euidentes, & poni in perfectâ figurâ, quæ cognitio est practica. Item illa, ex probabilibus sequitur conclusio probabilis, æquiualeat huic, ut probabilis conclusio inferatur, debent assumi propositiones probabiles, &c. quæ cognitio omnino est practica.

Sed vrgebis Primò, si ad rationem scientiæ practicæ sufficit quod mediâtè influat in suum obiectum modo explicato (dicitur enim, cognitionem illationis idè esse practicam, quia ex eâ dirigitur ad ponendas benè præmissas, ex quibus fiat illatio) si hoc, inquam, verum est, ergo similiter cognitio de nutritione erit practica, quod est absurdum. Sequela probatur: quia etiam mediâtè potest ea cognitio influere in nutritionem, scilicet applicando cibos, ex quibus postea fiat nutritio, sicut ibi applicando præmissas, ex quibus sequatur conclusio. Respondeo Primò, fortè posse aliquo modo cognitionem de nutritione dici practicam, si ex eâ ad cibos edendos determinaremur, & præsertim ad eligendos hos præ aliis, ex quibus meliùs & faciliùs nutritio putatur futura. nec defunt multi, qui in hoc sensu cognitionem eam dicunt esse practicam: & fortè non aliâ ratione Medicina dicitur & est practica, ut statim dicam. Secundo respondeo, 23 cognitionem de nutritione esse speculatiuam, eò quod nec mediâtè influat in ipsam nutritionem, quia nec ex eâ dirigimur ad efficiendam ipsam nutritionem in se, nec ad applicandos cibos: at hoc enim parum interest scire, an primò formetur chylus, an sit albus vel niger, an in hac parte stomachi an in illâ, & sic de aliis quæ de nutritione sciiri possent: hoc autem in Logica non habet locum, quia cognitio illa de conclusione

ex rectâ formâ per se conducit ad efficiendam eam conclusionem mediante illâ formâ. imò addo, independenter ab hoc de Logicâ, cognitionem practicam non requirere, ut immediatè dirigat ad opus; cognitio enim medica de sanitate dicitur communiter practica, eò quod sit productiva sanitatis, quod solum fit mediâ applicatione medicinarum, non verò quia immediatè causet sanitatem.

Obiicies cû aliis, has cognitiones, *genus latius patet suis differentiis, & definitio conuertitur cum suo definito*, nullo modo videri esse factiuas sui obiecti. Suprà dixi, has cognitiones, ut ad Logicam spectantes, non terminari immediatè ad res, sed ad actus intellectus; ideoque sic exponendas, *cognitio de genere plura explicat, quam cognitio de differentiis*. ut sic autem hæc cognitio est practiciſſima, quia dirigit me ad formandum conceptum genericum, qui sit vniuersaliſſior, quàm specificus. Item illa alia, *definitio conuertitur cum suo definito*, talis est, *definitio debet idem prorsus obiectum significare quod definitum*.

24 Hinc autem ego dirigor ad faciendam bonam definitionem æquiualem definitio. Quòd autem sub illis terminis illæ duæ cognitiones non videantur Logicæ, parum est: nam ipsemet obiiciens benè arguit contra Thomistas, ut probet, hanc cognitionem esse practicam, *Syllogismus in Barbara constat tribus propositionibus*, arguit, inquam, ex eo quòd æquiualeat huic, *syllogismus est faciendus in Barbara ex tribus propositionibus, &c.* ergo similiter licet illa, *definitio conuertitur cum suo definito*, non videatur practica, quia tamen æquiualeat huic, *definitio est facienda taliter, ut significet idem quod conceptus definiti*, erit etiam cognitio practica.

Teritiò potest argui pro eâ sententiâ, quia Logica considerat etiam sua obiecta, ut existentia: sed ea cognitio, ut dixi Disputat. I. Sect. 4. nequit esse practica, quia non præſcindit ab existentia obiecti; est ergo speculatiua. Respondeo, ex principiis Logicæ non posse cognosci, an definitio existat nec ne, vnde Logica non potest per se considerare definitionem ut existentem reduplicatiuè; quia licet possit cognoscere, utrùm aliqua definitio habeat naturam definitionis, verùm an ea existat an non, minimè cognoscitur à Logicâ, sed ab ipso intellectu cognitione experimentalis: sicut Philosophus potest cognoscere ex suis principiis, quæ sit essentia hominis, utrùm autem existat, non cognoscitur à Philosopho ut tali, sed per cognitionem intuitiuam visus, & Philosopho & rustico communem; quod & tandem multi ex aduersariis postea fatentur, sed minus consequenter ad hanc obiectionem, quàm hic ipsi nobis faciunt: cognitio ergo definitionis existentis, ut terminatur ad naturam definitionis secundum se, est Logica, ut sic autem etiam est practica, quia ut sic præſcindit ab existentia.

Non acquiescunt adhuc nonnulli recentiores, videntque, ista cognitio, *hæc definitio est facta iuxta regulas Logicæ*, non potest non ad Logicam pertinere, quia nulla alia scientia cognoscit eas regulas, ergo est Logica; & tamen est purè speculatiua, ergo in Logicâ sunt aliquæ cognitiones speculatiuæ. Respondeo facillè, eam cognitionem esse discursiuam, ex vnâ cognitione Logicâ & aliâ experimentalis deductam, ideoque non

pertinere ad Logicam. Ratio est manifesta: quia ut cognoscatur, hæc definitio est bona, debent cognosci hæc duo, *omnis definitio bona debet rem explicare per genus & differentiam*, quæ cognitio est purè Logica, & est practica (ut per se patet): postea additur alia cognitio, *sed hæc explicat de facto genus & differentiam*, hæc secunda est experimentalis, & nullo modo ad Logicam pertinet: hinc autem non iam scientia Logica, sed intellectus infert conclusionem, ergo *hæc est benè facta*. Sicut dicere, *fundamenta solida debent esse supra lapidem*, est cognitio Architectonica, & practica; ac videre, *hæc fundamenta sunt supra lapidem*, hoc ad visum pertinet, & qui nihil de Architecturâ scit, æquè id videt, ac summus Architectus, post eâ ex illis duabus infertur vna conclusio, ergo *hæc fundamenta sunt benè facta*, quæ propriè non est cognitio Architectonica, & consequenter potest esse speculatiua, licet ars Architectonica sit adæquarè practica.

SUBSECTIO SECUNDA.

Nostra sententia.

26 TERTIA ergo sententia sit, Logicam esse merè practicam: pro quâ refert P. Rubius suprà Gabrielem, Occamum, Paul. Venetum, Albertum, Iandunum. Eam tenet noster Fonseca 2. Metaphysicæ, cap. 3. quæst. 2. sect. 4. Murcia in Introductione Logicæ Disputat. I. quæst. 4. art. 1. Commbricenses quæst. 4. artic. vnicò, estque communis inter recentiores. Eam probò primò, ex D. Thomâ Opusculo 70. in Boëtium de Trinitate, quæst. de Diuisione scientiæ speculatiuæ, in responsione ad 2. vbi hæc ait: *Ad secundum dicendum, quod scientia speculatiua (ut patet in 1. Metaphysicæ) sunt de illis quorum cognitio queritur propter se ipsam, res autem, de quibus est Logica, non queruntur ad cognoscendum propter se ipsas, sed ut administrant quoddam ad alias scientias; & ideo Logica non continetur sub Philosophiâ speculatiua ut pars principalis, sed quasi quoddam reductum ad eam, prout ministrat speculationi sua instrumenta*. Ecce apertè D. Thomas Logicam docet esse practicam, solumque appellari speculatiuam, quatenus scientiis speculatiuis præbet instrumenta. Quòd si D. Thomas centeret, 27 eam habere cognitiones aliquas speculatiuas, non recurreret, ut eam diceret speculatiuam, ad alias scientias speculatiuas, quibus ipsa præbet instrumenta, sed ad speculationes proprias ipsius Logicæ: ergo sentit D. Thomas, eam esse merè practicam. Pro hac etiam sententiâ stant quotquot Logicam appellant artem, inter quos est Augustinus 2. de Ordine cap. 13. & Tullius de Claris Oratoribus, & lib. 1. de Oratore.

Hanc sententiam, quam veram censeo, probò ratione: quia Logica deseruit ad efficiendam omnia sua obiecta, ergo est omnino practica. Consequentia est euidentis. Antecedens probatur: omne obiectum Logicæ est terminus, *propositio, oratio, definitio, diuisio, & argumentatio*; sed hæc omnia (ut per se patet) sunt ex directione Logicæ, imò ad id solum est inuenta Logica, ut sciamus efficere & vi modo sciendi; ergo omnia Logicæ obiecta sunt factibilia ex eius directione. Quòd si aliqua fuerit cognitio, non deseruiens ad dirigendos actus nostros, non erit Logica, sed Philosophica:

phica: quia ad Philosophiam spectat speculari actus intellectus; ad Logicam, illos dirigere & regulare.

Dices, etiam si cognitio modi sciendi per se deseruiat ad eius effectiorem, tamen cognitio proprietatum modi sciendi non deseruiat ad earum effectiorem; sicut in qualibet arte, verbi gratia in domificatiua, sunt tales cognitiones omnino speculatiue, hac domus hoc modo defendet à frigore, vel facile, aut difficulter corrumpet, ergo similiter in Logica. Sed ut incipiamus ab exemplo de Architecto, dico, eas cognitiones esse practicas: quia cum domus ordinetur ut defendat & à frigore & à calore: item Architectus eam stabilem efficere conatur. Idem est cognoscere, domus sic facta defendat à frigore, & erit stabilis, ac dicere, ut hac domus recte fiat, debet hoc vel illo modo construere, quæ cognitio omnino est practica. Quod si eam cognitionem non ordinat Architectus ad sciendum, quomodo recte sit erigenda domus, sanè est extra eius metam: ipse enim solum per se curat de his quæ deseruiunt ad efficiendam domum. Ad præcipuam obiectionem de proprietatibus modi sciendi respondeo, à Logico non agi de omnibus proprietatibus modi sciendi: neque enim agit, an modus sciendi producat species, an sit operatiuus nec ne; sed solum de his quæ deseruiunt ad cognitionem finis, qui per se intenditur in illo modo sciendi, acquisitionis scientiæ, & opinionis, ut in illis supra enumeratis, quas dixi esse æquiualeuter practicas. Ratio à priori: quia scire finem, qui intenditur in modo sciendi, maxime deseruiat ad efficiendum perfectius ipsum modum sciendi, & ponenda media ad eum magis proportionata.

Sed urgebis, Ille finis non fit per cognitionem Logicam, ergo cognitio de illo non est practica. Paret consequentia, quia (ut dixi supra) cognitio practica debet esse sui obiecti effectiua, nec sufficiens fit factiua alterius. Respondeo, illum finem, qui à Logico cognoscitur, esse ab eadem factibilem, quia ille solum est illatio v. g. scientiæ, quæ fit per conclusionem formaliter: conclusio autem fit à Logica mediis præmissis; nec requiritur, ut immediatè ad eam influat, iuxta dicta supra. De acquisitione autem scientiæ habitualis, siue de productione habituum, &c. quæ est res remotior, & speculatiua, non curat Logicus, sed animasticus.

Dices secundò, In omnibus artibus, etiam mechanicis, sunt aliquæ cognitiones speculatiue, illæ scilicet quibus cognoscitur materia, ex qua efficiendum est opus; ergo etiam in Logica. Respondeo, negando consequentiam: discrimen est, quia artes mechanicæ non efficiunt suam materiam; quapropter cognitio de illâ est speculatiua; at verò Logica & efficit, & disponit suam materiam, quia hæc est actus intellectus, seu modus sciendi, qui fit ex directione Logica, est ergo Logica scientia omnino practica.

SECTIO IV.

De necessitate Logica ad alias scientias.

SUPPONO duplicem necessitatem, vnam ad simpliciter efficiendum aliquid, ita ut sine illo, quod necessarium dicitur, non possit existere

res; quomodo intellectus & voluntas sunt necessaria ad intelligendum & amandum, quia sine illis nec intelligere nec amare illo modo possumus: aliam non ad simpliciter, sed ad melius & facilius aliquid efficiendum, v. g. ut quis eat Romam, non est necessarius equus aut rheda, est tamen ut eat facilius & commodius. Iuxta hanc ergo distinctionem duplicis necessitatis, duplex esse potest in præsentī difficultas. Prima, an Logica sit simpliciter necessaria. Secunda, an saltem ad melius esse.

Deinde suppono, Logicam (sicut & alias scientias) & esse actualem, id est, actus Logicos; & esse habitualem, id est, habitus facilitantes ad actus: de quibus etiam duplex potest esse difficultas, alia, an actus Logici sint necessarij. Secunda, an habitus Logici. Has ergo quatuor difficultates quatuor Conclusionibus explicabo.

PRIMA CONCLUSIO. Habitus Logici non sunt simpliciter necessarij ad alias scientias. Hæc est communis, & patet facile, quia nullus habitus acquisitus, quales sunt habitus Logici, dant simpliciter posse, sed solum facilius; cuius ea est ratio, quia habitus acquisiti producuntur ab actibus; ergo supponunt, actus posse absolute fieri sine habitibus, nequit enim dari mutua prioritas in causis; ergo primus actus factus fuit sine habitu. potuit ergo eadem ratione & secundus & tertius absolute produci sine habitu, eadem enim est ratio de illis, quæ de primo; ergo habitus acquisiti non sunt simpliciter necessarij, ergo nec habitus Logica, seu Logica habitualis.

SECUNDA CONCLUSIO. Nec Logica actualis est simpliciter necessaria ad alias scientias. Hæc probatur à nonnullis, quia non requiritur Logica habitualis (ut iam probaui) ergo nec actualis, cum hæc non sit nisi actus secundus habitualis Logica. Non placet hæc ratio. Sicut si quis inferret, ad amandum Petrum non requiritur cognitio habitualis Petri, ergo neque actualis, male inferret; quia cum habitus supponat actum, bene stat, prærequiri actum, etiam si non prærequiratur habitus. Præterea falso dicitur, Logicam actualem non esse, nisi actum secundum productum ab habituali, quia potius habitualis producitur ab actuali, saltem in primo fieri, unde habitualis pender ab actuali, & non è contrario. Melius ergo probo Conclusionem, quia Logica ipsa potest habere cognitiones scientificas, definitionem v. g. diuisionem, & argumentationem, quin ad ipsam præcesserit alia Logica actualis, ergo pari ratione reliquæ scientiæ absolute poterunt habere definitiones, diuisiones, &c. Quin ad ipsas præcesserit Logica; ergo Logica actualis non est simpliciter necessaria ad alias scientias. Ratio à priori: quia sicut prima cognitio potuit haberi, quin ad ipsam præcesserit vlla doctrina, ita etiâ potest haberi secunda & tertia; quia non est maior difficultas in secundâ, quàm in primâ. Confirmatur experientia, quia videmus per se, etiam rusticos, qui propterea carent Logica artificiali, ut argumentationibus in suis quotidianis colloquiis, ut v. g. qui furatur aliena, debet puniri; tu es furatus, ergo debes puniri. Item, restitue pallium, quia alienum est, & omnia aliena debent restitui, & his similia plura argumenta conficiuntur quotidie à quolibet homine, quantumuis ignaro Logica; neque difficultas est in assentiendo conclusioni, sed

sed in probatione Maioris aut Minoris, nullus enim dubitat, si res sit aliena, restituendam esse: nec dubitat, quod si Petrus occidit Ioannem iniuste, dignus sit poenâ; sed dubitat de antecedentibus, an scilicet Petrus occiderit Ioannem, an hæc res aliena sit nec ne; ergo non sunt necessarij actus Logicæ reflexe cognoscentes argumentationem & discursum, ad hoc ut absolute possit fieri discursus & argumentatio. Idem est de alijs modis sciendi. Ergo Logicæ actus non sunt simpliciter necessarij ad alias scientias.

Obiicies Primò, Plurimi sunt syllogismi, etiam demonstratiui, in quibus non statim apparet ex ipsis terminis bonitas illationis; ergo saltem ad illos requiritur cognitio reflexa de bonitate consequentia. Nego Primò consequentiam, quia, quando non apparet bonitas consequentia, id prouenit, quia non sunt perfecte cognita præmissa, unde tunc non est necessaria cognitio reflexa de bonitate illationis, sed maior penetratio præmissarum, quæ potest haberi sine Logicâ. Secundò addo, Logicam non posse in materiâ particulari Philosophiæ aut Theologiæ cognoscere, vtrum extrema connectatur cum medio, id enim pertinet ad proprias scientias; unde, etiam si in illis syllogismis requireretur reflexa cognitio de eâ connexionem, illa cognitio pertineret ad Logicam.

32 Obiicies secundò, Nisi cognosceatur euidenter bonitas illationis, non potest inferri conclusio euidentis; ergo requiritur actus Logicus eam cognoscens saltem ad argumentationem. Respondent nonnulli, bonitatem illationis posse reflexe cognosci vel per actum Logicæ naturalis, vel per discursum naturalem, qui actus non sunt Logicæ artificialis: hæc enim est vniuersalis pro omnibus materijs; illi verò actus versantur tantum circa materias particulares. Et hac distinctione videntur sibi satisfacere Alberto Magno, propter hoc argumentum docenti, Logicam artificialem requiri necessariò ad alias scientias. Ceterum Albertus per Logicam non intellexit nisi cognitionem illam reflexam de bonitate illationis, quam Conimbricenses rectè vocant Logicam artificialem imperfectam & inchoatam. Quod autem habeatur ex vi naturæ intellectus, antequam ad illam præcesserit Logica artificialis, non efficit ipsam non esse Logicam artificialem; primus enim actus Logicæ artificialis in omnium sententiâ non supponit alium actum Logicum. Ratio est, quia ipse intellectus habet vim, ut se solo possit Logicam artificialem adipisci. Melius ergo 33 iidem secundò respondent, negando esse necessariam cognitionem reflexam de bonitate illationis; eo enim ipso, quod intellectus cognoscat in præmissis illa obiecta connexa, iam cognouit in actu exercito bonitatem consequentia sufficienti cognitione ad eam inferendam. Imò rarissimè in discursibus reflectimus supra bonitatem illationis (ut experientia docet) & patet ex exemplis in num. 31. positis. Sed de hoc redibit sermo Disputat. xv. à num. 15.

TERTIA CONCLUSIO. Actus Logicus est necessarius, ut aliæ scientiæ commodius & facilius obtineantur. Hæc est communis, possetque probari multis Patrum & Philosophorum testimonijs. Videantur Conimbricenses quæst. 2. Proæmialium art. 2. Eam sic probo, Quia humani

ingenij imbecillitas propter dependentiâ à sensibus magna est: & licet in hac vel illâ argumentatione possit sine directione rectè procedere, tamen facillè decipietur in alijs multis, putans rectum syllogismum eum, qui fallaciam continet. At instructus vniuersalibus Logicæ præceptis, facilius, quæ sit bona quæ verò mala definitio aut diuisio cognoscat, nec ita facillè capietur, & maiori cum securitate, ac sine tanto periculo errandi procedet; quod experientia suadet: longè enim melius, qui Logicam didicerunt, definiunt, diuidunt & argumentantur in alijs scientijs, quam qui ignari sunt præceptorum Logicæ. & hinc fit, ut ipsa Logica (iuxta dicta supra) difficilior acquiratur, quam aliæ scientiæ ad quas ipsa præmittitur. Quod si Ius Canonicum vel Civile multi aggrediuntur sine Logicâ, propterea difficilior illud assequuntur, quam si præceptis Logicis imbuti essent, & vix sine breui saltem instructiuncula de modo argumentandi & definiendi progredi vel vno passu possunt. Adde, non per modum scientiæ Ius addisci, sed ferè tantum ibi attendi, quid Iurisperitus dixerit, sine vltiori discursu.

Obiicies, Aliquando Patres in Logicam, ut 34 perniciosam & inutilem, inuehi apud Conimbricenses supra art. 1. Respondeo, eos esse intelligendos vel de abusu eius scientiæ, & de his qui sophisticis cōtentionibus & cauillationibus veritatem oppugnant; aut qui eâ contenti superbiunt, & sacras negligunt scientias. Logicam autem ipsam secundum se magnopere commendant iidem Patres apud Conimbricenses. Sufficiat nobis vnus Hieronymus Commentarijs in Ezechielem: *Verè quidquid peruerforum dogmatum, est, & putatur esse robustum in terrenâ sapientiâ, hoc Dialecticæ arte subvertitur, & instar incendi in cinerem fauilla sepe dissoluitur.*

QUARTA CONCLUSIO. Logica habitualis est necessaria ad alias scientias facilius obtinendas. Solum mediât, quatenus faciliat ad actus Logicos, qui (ut vidimus Conclusionem præcedenti) dirigunt intellectum ad reliquas scientias facilius & suauius obtinendas; habitus autem Logicæ per se immediatè non influit, nec dirigit alias scientias; ergo solum mediât est utilis ad illa.

SECTIO V.

Quem influxum habeat Logica in alias scientias.

35 Ex dictis Sectione præcedenti insurgit præsens difficultas: nam si Logica concurret cum alijs scientijs, ut facilius attingant sua obiecta, explicare oportet quâ ratione id præstet, an efficiendo simul cum illis earum actus eo modo, quo habitus in communi sententiâ iuuat potentiam simul cum illâ efficiendo actum; an solum dirigendo alias scientias medijs actibus Logicis. Hic duplex concurrenti modus potest explicari exemplo Magistrî edocentis puerum scribere. Nam si simul cum manu pueri scribat, illum iuuat efficienter; si verò relinquat puerum solum scribere, ipse verò tantum dirigat doctrinâ & regulis, non iuuat illum efficienter, sed solum directiue. In præsentem ergo quaerimus, quo ex his modis

modis Logica iuuet reliquas scientias. Pro cuius intelligentia distinguenda est duplex Logica, ut etiam diximus Sectione precedenti, alia *actualis*, alia *habitualis*.

PRIMA CONCLUSIO. Logica habitualis non est causa effectiua actuum aliarum scientiarum. Patet, quia habitus solum potest concurrere effectiue ad actus similes iis a quibus productus est, ut saepe dixi: sed habitus Logici non producuntur ex actibus aliarum scientiarum, ut per se constat, ergo non possunt ad illos concurrere efficienter. Confirmatur, quia (ut dixi Sectione precedenti Conclusionem 4.) habitus Logicus solum requiritur ad alias scientias mediante ratione actus producti ab ipso habitu: neque enim habitus Logicus dirigit per se alias scientias, id enim praestat actus ipse; ergo habitus Logicus non debet concurrere per se immediate ad illas.

36 SECUNDA CONCLUSIO. Nec actus Logici concurrunt efficienter, sed solum directiue ad aliarum scientiarum actus. Patet, quia ad dubitandum, utrum concurrat efficienter an directiue, solum mouemur (ut dixi initio Sectionis) ex eo quod Logica sit necessaria, ut aliae scientiae commodius acquirantur. At sine influxu efficienti recte intelligitur quia ratione Logica iuuet alias scientias, ergo non habemus fundamentum ad ponendum cum influxum, imo nec ad dubitandum utrum debeat poni. Quod autem sine influxu efficienti possit Logica non solum alias scientias iuare, sed & necessaria esse ad illas, inde patet; quia non solum ea quae concurrunt efficienter ad aliquem effectum, sed etiam quae concurrunt solum directiue, possunt ad illum requiri, ut requiritur discipulus Magistrum, etiam si Magister non efficiat in ipso discipulo actus intellectus, sed solum eos dirigit. Item cognitio obiecti requiritur ad illud amandum, & tamen cognitio non efficit amorem, sed solum concurrunt manifestando obiectum: item artes mechanicae solum concurrunt dirigendo potentiam; neque enim actus intellectus, qui est in capite, efficit cum manu calceos, aut superponit lapides, sed solum dirigit potentiam operatricem; ergo necessitas Logicae, & a fortiori sola utilitas ad alias scientias sufficienter saluatur cum sola directione sine influxu efficienti. Confirmatur, quia reliquae scientiae solum egent Logica, ut sciant quomodo sit efficienda definitio: hoc autem sufficienter praestatur a Logica sola directione, qua doceat modum quo facienda est definitio, etiam si ipsam non efficiat; ergo non est necessarius concursus effectiuius Logicae in alias scientias, ergo nec ponendus.

Obiicies Primò: Actus aliarum scientiarum sunt sub sphaera actiuitatis Logicae; ergo possunt ab illa effici. Respondeo, esse sub sphaera obiectiua, id est, esse obiecta Logicae: ex quo non colligitur posse ab illa effici; neque enim omnis actus potest efficere suum obiectum. Numquid nostra cognitio de Deo potest efficere Deum,

quem habet pro obiecto? Per hoc tamen non facimus Logicam speculatiuam: nam, licet non concurrat efficienter, concurret tamen absolute directiue.

Obiicies Secundo: Artificium Logicum est quid distinctum ab actibus, ergo saltem illud poterit a Logica effici: neque enim est alia scientia, a qua fiat. Iam ostendi Disputat. 11. Sect. 3. artificium Logicum vel non distingui ab ipsis actibus, vel solum supra illos addere durationem: ad causam autem, quae producit substantiam rei, spectat eam cum hac vel illa duratione producere, licet egeat directione ut fiat, quo ordine & quo tempore eos debeat producere; sicut discipulus Architecti v. g. licet egeat doctrina Magistri, ipse tamen ponit lapides & ligna cum hoc vel illo ordine, in quo consistit artificium domus, & ad hoc non addit illi Magister vires Physicas; ergo licet Logica necessaria sit ut doceat alias scientias quo ordine debeant producere suos actus, id tamen executioni mandare, ad ipsas scientias pertinebit; ergo Logica non efficienter, sed solum directiue concurrat ad alias scientias, & propter hunc directiuum concursum, non propter effectiuum dicitur *scientia practica*, sicut & omnes aliae artes, quae non habent influxum physicum, sed directiuum in opera quae faciunt.

SECTIO VI.

De vnitae Logicae.

DE vnitae Logicae nihil peculiare occurrit 38 dicendum, praeter dicta Disputat. 1. Sect. & Subsect. 3. de vnitae scientiae in communi: dixi ibi enim, ex multitudine & diuersitate obiectorum scientiae ostendi, quaecumque scientiam esse compositam ex pluribus & diuersis specie habitibus, non quidem inter se vnitae, sed dicentibus ordinem ad idem obiectum attributionis: quae omnia dicta puta de Logica, quae habet plures & diuersos habitus, quia & plura & diuersa obiecta cognoscit, v. g. definitionem, diuisionem, argumentationem, &c. qui omnes vniuntur vnitae ordinis ad idem obiectum attributionis, scilicet demonstrationem, ut dixi Disputat. 11. Sect. 5.

Ex his tribus Disputationibus constat, Logicam esse scientiam compositam ex pluribus habitibus, & dicentem ordinem ad directionem aliarum scientiarum, ut facilius & sine periculo errandi in suis actibus procedant: pro quibus non simpliciter, sed ad melius esse requiritur, & ad quos solum directiue concurrat. Hinc hanc breuem inferes Logicae definitionem: *Est scientia practica, ostendens modum intellectualem definiendi, diuidendi, & argumentandi.* quae definitio ex hac usque dictis explicata satis ac probata manet. Iam ad ipsa Logicae obiecta disquirenda faciamus gradum. 39